



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopo viuento nullus superodinetur. clxxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*De episcopis qui se uiuentibus successores eligere de-
siderant. Cap. CLXXXV.*

*Ex cōcil.
Antioche.
cap. 23.* **E**piscono non licere pro se alterum successorem sibi
constituere, licet ad exitum vitæ perueniat. Quod si
tale aliquid factum fuerit, irritum esse huiusmodi con-
stitutum. Seruetur autem ius ecclesiasticum id continens
oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & iudicio epi-
scoporum, qui post obitum quiescentis potestatem ha-
bent eum qui dignus extiterit promouere.

Vt episcopo uiuente nullus superordinetur.

Caput CLXXXVI.

*Ex cōcil.
Auernē.
cap. 13.* **V**T nullus uiuente episcopo alius superponatur aut
superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius lo-
cum quem capitalis culpa deiecerit.

Quod non liceat episcopo successorem eligere.

Cap. CLXXXVII.

*Ex cōcil.
Spalensi,
cap. 8.* **E**piscopum non liceat ante finem vitæ, alium in loco
suo constituere successorem. Si quis autem hoc vsur-
pare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non ergo
aliter fieri oportet, nisi cum consilio & iudicio episco-
porum, qui post exitum præcessoris, potestatem habent
dignum eligere.

*Quod nusquam canones præcipiant, ut pro ægri-
tudine episcopi, alius succedat, & si ipse pro
sua molestia petierit, qualiter fieri possit.*

Cap. CLXXXVIII.

*Ex regist.
Gregorij
pape, ad
Anatoliū
Constā-
nopolita-
diaconū.* **S**cripsit mihi dilectio tua me reuerēdissimo fratri meo
Ioanni primæ Iustinianæ episcopo, pro ægitudine
capitis quam patitur episcopum præcipere succedi: ne for-
tasse dum episcopi iura eadem ciuitas non habeat, quod
absit, ab hoste depereat. Equidem nusquam canones præ-
cipiunt, ut pro ægitudine episcopi episcopus succedat:
& omnino iniustum est, ut si molestia corporis irruit, ho-
nore suo priuetur ægrotus. Sed suggerendum est, ut si quis
in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui
possit eius curam omnem agere, & locum illius in regimi-
ne Ecclesiæ ipso nō deposito cōseruare, ut neq; Deus om-
nipotēs offendatur, neq; ciuitas neglecta esse inueniatur.